Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



urbes. sed etiam omnia ligna regionis uastant & in
cendio cremant. Et ista tam ad aspectum quam ad gustum
pertinent. Unde habemus in genesi quod uiderit mulier
lignum pulchrum uisu. & aduescendum suaue &
tulit de fructu illius & comedit. deditque uiro suo.
Notandum autem quod cum in ceteris maioribus rebus
plus soleant homines delectari. solummodo poma
desiderii animae dicit esse. Unde ostenditur. quia non solum
in maioribus sed etiam in minimis ualde offenditur.
si immoderatius & ultra quam debent appetuntur.
Poma uero in sacro eloquio uirtutes sanctorum significant.
Unde est. Emissiones tuae paradysus malorum punicorum cum
pomorum fructibus. Dicit ergo se pars bestiae omnia simulate
habere. quae sancta ecclesia in ueritate possidet agnus.
Et omnia pinguia. idem crassa. & preclara perierunt a te.
& amplius illam iam non inuenient. Ista ad gustum uel
castrimargiam redigenda uidentur. Haec itaque omnia
quae secundum quinque corporis sensus reprobi tractant.
pereunte mundo deplorant quia nesciunt. aliud
cogitare nisi quae exterius considerant. Et dum uidens
alios transire per mortem & afflictionem ab hac uita ipsi
eorum superstites interitum illorum qui mundi gaudia
reliquerunt deplorant. timentes ne sibi similia
eueniant. Significant etiam & haec ut cetera aliquid
bonorum. dum ostendunt simulationem impiorum. Nam
cum psalmista dicat sicut adipe & pinguedine re
pleatur anima mea. ostendit sagimen illud in signi
ficatione uirtutes esse animarum. Ista enim sagina
in nouae uitae predicatoribus apparuit. quam se